Amor Dei Lux Animæ.

TENTAMEN THEOLOGICUM DE Fidei CHRISTIANÆ Certitudine.

AUTHORE

EDMUNDO ELYSIO

Ecclesiæ *Anglicanæ* Filio Obsequentissimo.

St. Greg. in 1 Reg. Exp. Lib. 2. C. 1.

SUMMA VERITAS AMOR EST.

St. Greg. Nazianz.

——— Τὸ φίλτρον μεῖζον ἢ Γνώσεως
Ἦν δ' ἐστ' ἀμείνων πρὸς Ἀλήθειαν τρίβος
Τῆς ἐν λόγῳ τε, καὶ γραφαῖς πημαινομένης.

St. Basil. in Psal. 115.

Πίστις οὐχ ἡ γεωμετρικαῖς ἀνάγκαις, ἀλλ' ἡ ταῖς τοῦ Πνεύματος ἐνεργείαις ἐγγινομένη.

LONDINI, Excusum Sumptibus *R. C.* Anno Dom. 1670.



TENTAMEN THEOLOGICUM DE Fidei CHRISTIANÆ Certitudine.

TArdè moventur, quæcunq; suo se gravant Pondere: qualia nimirum omnia sunt Cogitata illa, quæ copiosiùs undiq; emergentes circa Fidem CHRISTIANAM Errores supprimere ac dissipare apta nata sunt: hinc ego nostram de Sublimi hoc Themate, Fidei CHRISTIANÆ Certitudine, Sententiam prolaturus non nisì Pedetentim, & lento gradu procedere decrevi: nempe in eo totus sum, ut *Mysticam*, ac Profundam Veritatem adeò sibi implicent Verba

noſtra ab omni Rhetoricæ inanis Faſtu, ac Tumore abhorrentia, ut idem ſit ad intima Animi noſtri ſenſa iſtiuſmodi Scriptis prolata penetrare, ac aliquatenus ſaltem in eandem mecum *ſententiam ire*: Atq; etiam ut nil ſit aliud Verba Verbis noſtris Opponere, quàm Solido Fragile illidere, quò, quale reverâ Eſt, Utrumq; magis Appareat.

Ut clariùs eluceſcat Veritas hujus Sententiæ *Fidei CHRISTIANÆ Certitudinem ab ipſâ Voluntatis Sanctâ Diſpoſitione provenire*, Diſſertationis egregiè quidem elaboratæ, cui Titulus, *Faith Vindicated*, &c. Authoris Errori egregio Oppoſitæ, Propoſitionis noſtræ termini explicandi ſunt: Dico itaq; Per Fidei CHRISTIANÆ Certitudinem intelligendam eſſe Animi DEO OPT. MAX. Per SPIRITUM SANCTUM Adhærentis In Apprehenſione Benevolentiæ Ejus Gratioſè Nobis exhibitæ Per JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM Firmitudinem, ac Conſtantiam: Per Voluntatis Sanctam Diſpoſitionem SPIRITUS SANCTI Participationem Per Objectum Fidei quocunq; Modo Propoſitum ſeſe Animo ingerentis, & in DEUM OPT. MAX. Amplectendum Excitantis: Per τὸ provenire, *&c.* Intelligendum eſt τὸ ab eâ Originem ducere nec aliter eſſe, niſi Per eam. Hinc liquidò conſtat Principale Fidei CHRISTIANÆ Objectum eſſe

Bene-

Benevolentiam DIVINAM Gratiosè Nobis exhibitam Per JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM: Indè etiam & hoc liquet, Nullam omnino Enunciationem EVANGELICAM, Fide Verè CHRISTIANA Apprehendi, nisì Vi, ac Efficaciâ Apprehensæ Benevolentiæ DIVINÆ &c. Sive SUMMI BONI, DEI OPT. MAX. Se Nobis In CHRISTO Offerentis Per SPIRITUM SANCTUM. Meritò itaq; Viri Apostolici qui Pulcherrimæ VERITATIS Amore flagrantes ad Extirpandam Hæresin Convenerunt in Quatuor illis Conciliis Generalibus NICÆNO, CONSTANTINOPOLITANO, EPHESINO, CHALCEDONENSI, summis viribus adnixi, omnes Animi nervos intendentes Certabant, Ardebant, Pugnabant contra insurgentes istas de CHRISTO, atq; etiam de SPIRITU SANCTO Diras Opiniones, aut saltem Fictas Sententias (forsan enim nec ipsi Credidere, quæ Fastus impetu abrepti Fidei aliorum obtrudere conati sunt) *Arrii*, *Macedonii*, *Nestorii*, *Eutychis*: Quorum singulas Sententias recensere maximè conducet ad elucidandam Fidei Verè CHRISTIANÆ Naturam.

Arrius iste, Horrendus Blasphemiæ Artifex, DEUM esse pernegavit JESUM NOSTRUM: Totam Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, Fundamento huic Soli, *ÆTERNÆ SAN-*

SANCTITATI Incarnatæ innitentis Fabricam tentans evertere. Ad Nefandum istius Dogma convincendum Orthodoxi Patres 318 (ut videre est apud *Binium*, atque alios Conciliorum Historiographos) *Scripturarum* Testimonia abundantiùs proferebant, tandem Unanimi Consensu Statuentes Hoc *SYMBOLUM, de PATRE, & FILIO, & SPIRITU SANCTO Scripturarum* Sententiæ â Seipsis cautiùs, ac Fideliter Explicatæ *Monumentum* Firmum, ac Perpetuum. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν, Πατέρα Παντοκράτορα, *&c.*

“ *Credimus in Unum DEUM PATREM*
“ *Omnipotentem, omnium visibilium, & invisi-*
“ *bilium Factorem. Et in Unum Dominum,*
“ *Jesum Christum, FILIUM Dei, ex PATRE*
“ *natum Unigenitum, id est, ex Substantiâ PA-*
“ *TRIS, DEUM ex DEO, Lumen ex Lu-*
“ *mine, Deum Verum ex Deo Vero; Natum, non*
“ *Factum, Consubstantialem PATRI, per quem*
“ *omnia Facta sunt, & quæ in Cælo, & quæ in*
“ *Terrâ. Qui propter nos Homines, & propter*
“ *nostram Salutem, Descendit, & Incarnatus est,*
“ *& Homo Factus: Passus est, & Resurrexit*
“ *Tertiâ Die, & Ascendit in Cælos: & iterum*
“ *Venturus est Judicare Vivos, & mortuos. Et*
“ *in SPIRITUM SANCTUM. Eos autem*
“ *qui dicunt: Erat aliquando quando non erat, &*
“ *antequam nasceretur non erat: & quia ex iis quæ*
“ *non sunt, Factus est; aut ex aliâ Substantiâ vel*
“ *Essentiâ dicunt esse, vel Creatum, vel muta-*

“ *bilem,*

"*bilem*; *vel convertibilem* FILIUM *Dei*,
" *Anathematizat Catholica, & Apostolica Ec-*
"*clesia.*

Macedonius iste Spiritu Maligno adductus eò tandem pervênit Insaniæ, ut DEUM esse SPIRITUM SANCTUM negaverit: In Cujus Nomine non secus ac In Nomine PATRIS, & FILII, *in Remissionem Peccatorum* BAPTIZAMUR. Hujus autèm, atque Hujus similium Hæreticorum Pestiferas Sententias (Concilii NICÆNI vestigia sequendo) Anathemate perstrinxit Concilium CONSTANTINOPOLITANUM, atque alterum Salutiferæ Veritatis munimentum Orbi exhibuit per hanc Fidei Explicationem Hæresi Macedonianæ accuratiùs Oppositam:

"*Credimus in Unum* DEUM, PATREM
" *Omnipotentem, Factorem Cæli & Terræ, visibi-*
" *lium omnium & invisibilium Conditorem. Et in*
" *Unum Dominum* JESUM CHRISTUM *Filium*
" DEI *Unigenitum, ex* PATRE *Natum Ante*
" *Omnia Sæcula*, DEUM *ex* DEO, DEUM
" *Verum ex* DEO *Vero, Natum, non Factum,*
" (Ὁμοούσιον τῷ Πατρί) *Homoousion* PATRI, *hoc*
" *est, ejusdem cum* PATRE *Substantiæ*; *per*
" *quem omnia Facta sunt, quæ in Cælo, & quæ*
" *in Terrâ. Qui propter nos Homines, & propter*
" *nostram Salutem Descendit de Cælis: & In-*
" *carnatus est ex* SPIRITU SANCTO, *ex*
" *Mariâ Virgine, & Homo Factus est: Cruci-*
" *fixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, Passus,*

"*ac*

"ac Sepultus: & tertiâ die Resurrexit secundum "Scripturas: Ascendit in Cælos, Sedet ad Dexteram PATRIS: indè Venturus est cum Gloriâ Judicare Vivos & Mortuos; cujus Regni "non erit Finis. Credimus in SPIRITUM "SANCTUM *DOMINUM, & vivificantem, ex PATRE procedentem, & cum "PATRE & FILIO adorandum & conglorificandum: Qui Loquutus est per Prophetas. "Et Unam Sanctam Catholicam & Apostolicam "Ecclesiam. Confitemur Unum * BAPTISMA in "Remissionem Peccatorum. Expectamus Resurrectionem Mortuorum, & Vitam Futuri Sæculi, "Amen.

*Εἷς ΚΥΡΙΟΣ Μία ΠΙΣΤΙΣ, Ἓν ΒΑΠΤΙΣΜΑ Ep ad Eph. 4. 5.

Nestorius (ut loquitur *Vincentius Lyrinensis* Lib. contra profanas Hæreseῶν Novationes, c. 17.) *dum se duas in CHRISTO Substantias distinguere simulat* (quas insanus Hæreticus *Apollinaris* quasi in unam contraxit, ut idem *Vincentius* ibidem ostendit) *duas introducit repente personas & inaudito scelere duos vult esse Filios DEI, duos CHRISTOS, unum DEUM, alterum HOMINEM: unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex Matre. Atq; ideo asserit Sanctam Mariam, non Theotocon, sed Christotocon esse dicendam; quia scilicet ex eâ non ille CHRISTUS, qui DEUS, sed ille qui erat HOMO natus.* Dogma hoc sceleratissimum, Vera ac Viva Gehennæ Soboles, Fundamentum Ecclesiæ manifestò diruit. Aufert illum a nobis CHRISTUM, qui Διὰ τ

Θεανθρωπίας

Θεανθρωπίας, Per DIVINAM HUMANITATEM, Lapſos HOMINES Evehit ad DEUM, Viam omnibus pateſaciens *in Gratiam redeundi cum Juſto & Irato DEO*, Plenâ ac Perfectâ *Satiſfactione* pro omnibus HOMINUM Omnium Peccatis PATRI OMNIPOTENTI exhibitâ Per Unam Sui in Cruce *Sacrificati* Oblationem. Ἄνθρωπος ψιλὸς (ut loquitur *Proclus* Epiſcopus *Cyzicus* in Homiliâ habitâ ſedente *Neſtorio* in magnâ Eccleſiâ *Conſtantinopolis*, quam videre eſt apud *Binium*, Tom. 2. Σῶσαι οὐκ ἴσχυε· Θεὸς γυμνὸς παθεῖν οὐκ ἠδύνατο. Eandem Veritatem, Intellectum quemlibet Finitum Superantem, nullis ſcilicet *Comprehenſibilem* Creaturis, nec ipſis Cœlorum Incolis, Hymno quodam verè *Divino* Περὶ τῆς Ἀνθρωπίνης φύσεως, ſic Cecinit Summus Vir, Fons Perennis Theologiæ, *Gregorius Nazianzenus*,

Χριστὸς ἔδυ μορφὴν ἡμετέρην κεράσας,
Ὡς κεν ἁμοῖς Παθέεσσι Παθὼν Θεὸς ἄνδρα σαώζοι,
Καί με Θεὸν τελέσῃ οὕδεϊ τῷ Βροτέῳ.

Carminum Ingenio pariter, ac Doctrinâ Inſignium Paraphraſin Latinam tentanti mihi Lector Candidus ignoſcat.

Naturam Aſſumpſit CHRISTUS & ipſe meam:
Ut læſum NUMEN mea Vulnera triſtia Sanet,
Meq; DEUM Faciat Factus HOMO ipſe (DEUS.

De ſublimi hoc Themate perorans idem Vir eloquentiſſimus verba hæc profert in Oratione 41. Γενώμεθα ὡς Χριστός, ἐπεὶ καὶ Χριστὸς ὡς ἡμεῖς· Γενώμεθα Θεοὶ δι' αὐτόν, ἐπειδὴ κἀκεῖνος δι' ἡμᾶς Ἄνθρωπος. *Simus ut CHRISTUS, quoniam CHRISTUS quoq; ſicut Nos; Efficiamur Dii propter Ipſum, quoniam Ipſe quoq; propter Nos Homo.* Hinc facilè poſſumus conjecturam capere qualis fuit illa de *Neſtorio* Concilii EPHESINI Sententia, nempe a Catholicis EPHESI Congregatis Denunciatum fuiſſe Hæretico Sceleratiſſimo ANATHEMA Secundùm Sanctas *Scripturas*, atq; iis conformem, ex iis elicitam Patrum 318 qui ad Hæreſin Arrianam Damnandam NICÆÆ Convenêrunt, Clariſſimam Sententiam. *Dirimatur*, inquit *Proclus* prædictus in Fine Homiliæ prædictæ, *omnis contradictio, Scripturarûmq; illuminemur ſcientiâ, quo Regnum Cœlorum conſequamur in ſæcula ſæculorum, Amen. Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus* (Conc. Eph. Partis 2. Act. 1.) *Dixit, Quamvis Eccleſiaſticæ ſanctiones, &c. Inprimis autem recitetur Fides, quam Trecenti Decem & Octo Patres, & Epiſcopi* NICÆÆ *quondam congregati expoſuerunt; ut ſententiis ad Fidei doctrinam ſpectantibus cum eâ Expoſitione collatis, conſentientes quidem confirmentur, diſſentientes autem rejiciantur. Et lectum eſt Fidei Symbolum hoc modo. Credimus in Unum DEUM, &c. Symbolo hoc recitato* Petrus *Presbyter* Alexandriæ *notariorum Primicerius Dixit: Eſt in manibus*

noſtris

nostris Cyrilli, *sanctissimi, piissimiq; Archiepiscopi Epistola, &c. Et lecta est Epistola.* In hac Epistolâ *Cyrillus* ille Summus Vir, Animum gerens plus quàm Heroicum, GLORIÆ SPIRITUS Radiis illustrissimè refulgentem explicat solummodo Saluniferam Veritatem à seipso Defensam, Symbolo NICÆNO Congruam, Hæresi *Nestoriana* Oppositam: In aliis Epistolis, variisq; Sermonum Formulis in hoc Volumine exhibitis abundè testatur Hoc Concilium in Quæstionibus de Fide Discutiendis, sicut & illa Præcedentia, Sanctis *Scripturis* innixum fuisse, tanquam Fundamento & Columnæ Fidei: Nec aliter in medium protulisse Symbolum NICÆNUM nisì ex hac Suppositione, Quòd omnia quæ in eo continentur, in ipsis *Scripturis* elucescant omnibus, qui puris Oculis easdem inspiciunt. Pauca ipsius Verba hoc Testimonium præferentia nostræ huic Dissertationi inserere consentaneum esse videtur. In Epistolâ ad *Anastasium, Alexandrum, &c. in Sanctum Symbolum* (quæ occurrit juxta Finem Conc.Eph. Partis Tertiæ) *Videmus*, inquit, *in Speculo & Ænigmate* (1 Cor.13.12.) *& cognoscimus ex parte, sed qui ex Tenebris profunda revelat*, lumen veritatis infundit (τοῖς ἘΘΕΛΟΥΣΙΝ ὀρθῶς τὴν περὶ αὐτοῦ γνῶσιν ἑλεῖν) his, *qui ipsius cognitionem rectam capere VOLUNT. Oportet igitur ut coram*

Ὄψεται, ἢν ἘΘΕΛΗΣΙ, καὶ ἢν Πνεύματ☉ ἁγνοῦ·
Εἰ ῥυσθείη κραδίην, καὶ εἰ Νόος ὀξὺ δέδορκε.
Greg. Nazianz.
Si VELIT, & Cordi SANCTUS si SPIRITUS adsit.
Atq; acies illi Mentis sit acuta, Videbit.

DEO procumbentes dicamus: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, quandoquidem a rectitudine Sacrorum Dogmatum excidere nihil aliud est quàm manifestè in morte obdormire: a qua rectitudine excidimus, quando Scripturas Divinitus Inspiratas non sequimur; sed vel præsumptis minimè laudatis opinionibus, &c. Assentiendum igitur iis est, qui rectam Fidem ad Sacrarum Prædicationum sententiam diligenter examinant, quas & per Spiritum Sanctum * *Tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt Sermonis*, Luc. 1. 2. *Quorum vestigia sequi studuerunt etiam celeberrimi Patres nostri qui venerabile, & universale Fidei definiêrunt Symbolum in NICÆA olim congregati.* In eadem Epistolâ ab omnibus verè Catholicis usq; ad Consummationem Sæculi meritò celebrandâ contra Hæreticos *Nestorianos* sic ille loquitur. *Quid igitur retorquent dispensationis sermones, & veritatem adulterant, contra omnes Divinitus Inspiratas Scripturas insurgentes, quæ Deum esse sciunt, etiam Hominem factum Filium, Unúmq; ipsum Ubique nominant.*

* Non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconizaverunt; postea verò per Dei Voluntatem in Scripturis nobis Tradiderunt Fundamentum, & Columnam Fidei nostræ futurum. *D. Iren. L.* 3. *C.* 1.

Eutychiani Unam tantùm in CHRISTO Naturam esse docent, ex Humanâ & Divinâ compactam: Quos, secundùm Acta Conciliorum Præcedentium N. C. EPH. merito ANATHE-

THEMATIS stigmate notavit Concilium CHALCEDONENSE. Ad quod probandum abunde sufficit hæc verba proferre, quæ occurrunt in Definitione hujus Concilii apud *Binium*, Tom. 3. p. 337. *Communi judicio Dogmata expellentes erroris inerrabilem renovavimus Fidem, Symbolum Trecentorum, Decem & Octo omnibus prædicantes. Et omnes qui hanc veluti tesseram Pietatis acceperunt, ut proprios Patres etiam adscribimus, eos nimirum qui postea in magnâ* Constantinopoli *congregati sunt Centum Quinquaginta, & eandem Fidem ipsi quoq; confirmârunt. Decernimus igitur ordinem & omnes Formulas custodientes quæ de Fide sunt constitutæ & nos sanctæ Synodi quondam in Epheso factæ, cujus Præsides fuerunt beatißimæ memoriæ Cælestinus Romanorum, & Cyrillus Alexandrinorum, Præfulgere quidem rectæ & immaculatæ Fidei Expositionem Sanctorum & Beatißimorum Trecentorum Decem & Octo Patrum, qui in Nicæâ temporibus piæ memoriæ Constantini Imperatoris congregati sunt:* (κρατεῖν 5 ——) *servari autem* (ego potiùs dixissem Obtinere) *& ea quæ apud Constantinopolim a Sanctißimis Centum Quinquaginta Patribus Decreta sunt ad expellendas quidem Hæreses quæ eo tempore germinârunt, & ad confirmationem ejusdem Catholicæ, & Apostolicæ nostræ Fidei.*

At quorsum hæc, inquiunt Pontificii? Num itaq; non alia Credenda sunt præter ista Dogmata quæ in hoc Symbolo continentur? Hu c

sanè

ſanè ingentis momenti Quæſtioni verè Theologicæ Breviter ego at (uti ſpero) Perſpicuè Reſpondebo. Qui Animo *Fideli* tenet hoc Symbolum, Neceſſe eſt ut Implicitè, ſive Virtualiter Credat, quæcunq; ad Salutem ſuam conſequendam ſpectant: hoc eſt, Qui DEI PATRIS Affectum PATERNUM Animitus Agnoſcit; atque etiam Ejuſdem Affectus Executivam Poteſtatem INFINITAM, Nec ſub aliâ Conditione Expectat hunc DEI OMNIPOTENTIS Affectum, Gratiam, ſeu Favorem Sibi Exhibendum, præter iſtam, Si JESU CHRISTO, FILIO ejus UNICO, DOMINO NOSTRO, Qui Homines Jubet Univerſos *Renunciare omnibus, quæ Poſſident*, *i. e.* Nihil omnino Curare, niſi DEUM OPT. MAX. aut Propter DEUM, *ut Ipſius Diſcipuli evadant*, Sinceram Obedientiam præſtiterit, Naturæ Vires ad ſummum hoc Opus peragendum nullas Agnoſcens, SPIRITUS SANCTI Auxilio Per DOMINUM NOSTRUM, JESUM CHRISTUM Gratioſè Exhibito Soli Innixus, * Hic, inquam, Animum bene Præparatum habet ad Fidem cuilibet Propoſitioni EVANGELICÆ præſtandam, quam illi unquam quibuſcunq; Mediis Externis (vel etiam nullis) CHRISTI SPIRITUS in Animum induxerit, ſive Intellectui ejuſdem Propoſuerit.

* Εἰ δὲ τῇ τοῦ Πνεύματος ἑαυτὸν ἐπιδέδωκε βοηθείᾳ, τὴν Ἀλήθειαν γνώσεται, καὶ Θεὸν ἐπιγνώσεται.
Si SPIRITUS Auxilio ſe fulciendum commiſerit, Veritatis aſſequetur Intelligentiam, DEUMq; cognoſcet *S. Baſil. Ep.* 399.

Proposuerit. Verum esse hoc Constat, Vi Axiomatis istius per ora omnium Dialecticæ studiosorum quotidie jactati: *Posita Causâ ponitur Effectus*. Causa nunquam non Efficax *Actus* Fidei cuilibet Doctrinæ Cœlesti *Actu* Propositæ, *ipso facto*, præstandi est *CHRISTI SPIRITUS* Operatio Voluntati *CHARITATEM* Infundentis, Quò Ipsa (Vi scilicet ejusdem Operationis) Moveat Intellectum ad Assentiendum *VERITATI*, hoc est, ad Retinendam eam, ut Irruat usq; in Ejusdem Amplexus per Amorem, sive *CHARITATEM* Verè Fidelis, seu *CHRISTO* Devotus Animus. Atq; hinc nobis clariùs elucescit *Rationabile* admodum, scilicet Immensi τ̃ Πολυποικίλης Σοφίας τῦ Θεῦ Oceani Effluvium esse Decretum celeberrimum Concilii *EPHESINI* (Conc. Eph. Partis 2. Act. 6.) Ὥρισεν ἡ Ἁγία Σύνοδ☉ ἑτέραν Πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν, &c. *Statuit Sancta Synodus alteram Fidem nemini licere proferre aut conscribere, aut componere præter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicæâ cum Spiritu Sancto congregati fuerunt. Qui verò ausi fuerint aut componere Fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus in agnitionem veritatis, sive ex Gentilitate, sive ex Judaismo, sive* (ἐξ Αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν) *ex Qualicunque Hæresi; hos quidem si sunt Episcopi, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos a Clericatu Decrevit; si verò Laici fuerint, Anathemati subjicit.* Si quis fortasse adhuc dubitet, vel potiùs dubitare *velit* de Sensu hujus

Decreti,

Decreti, is qualis sit, huic facilè videre licet in hisce Beatissimi *Cyrilli* verbis in Epistolâ ad *Joannem Antiochenum Episcopum*, quæ occurrit apud *Binium*, Tom. 2. p. 594. atq; etiam in eâ Concilii *CHALCEDONENSIS* Sententiâ, quam jamjam in medium prolaturus sum.

De Virgine autem Dei genitrice inquit *S. Cyrillus*; *quomodo sentiamus, & loquamur, deq; Unigeniti Filii DEI Incarnationis modo, necessariò* (ἐκ ἐν προσθήκης μέρει) *non quasi aliquid adjungamus, sed* (ἐν πληροφορίας εἴδει) *quòd pro comperto habeamus, ut jam indè ab initio ex Divinis Scripturis, Sanctorúmq; Patrum Traditione accepimus, breviter dicemus, nihil omnino Addentes Fidei in Nicæâ a Sanctis Patribus Expositæ, Illa namq; ut priùs dictum est a nobis, ad omnem Pietatis Cognitionem, Omnísq; Hæreticæ Pravitatis Refutationem sufficit.*

Concilii *CHALCEDONENSIS* Partis 2. Act. 2. apud *Binium*, Tom. 3. p. 211. Ἀρκεῖ τὰ ἐκτεθέντα, ἄλλην ἔκθεσιν ἐκ ἐξὸν γενέσθαι. *Sufficiunt quæ Exposita sunt, alteram Expositionem non licet fieri.*

Οἱ εὐλαβέστατοι Ἐπίσκοποι ἐπεβόησαν, ἔγγραφον ἔκθεσιν ἐ ποιέμεθα· Κανὼν ἐστὶν ὁ διαγορεύων, &c. *Reverendissimi Episcopi clamaverunt, In Scriptis Expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere, quæ sunt Exposita. Regula est vult aliam Expositionem non fieri* Sic etiam Patres hujus Concilii Act. 5. in fine post recitata Symbola Nic. & Const. & Acta sua eisdem Symbolis secundùm Scripturas Aptata,

Decreto

Decreto Concilii EPHESINI suprà recitato suam Authoritatem adjiciunt: *Sicut antè Prophetæ de eo* (Christo) *& ipse nos Jesus Christus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit. His igitur cum omni undiq; exactâ curâ & diligentiâ a nobis expositis,* Ὥρισεν ἡ Ἁγία, καὶ Οἰκουμενικὴ Σύνοδος ἑτέραν Πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν, ἢ γοῦν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι, ἢ φρονεῖν, ἢ διδάσκειν ἑτέρους· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι Πίστιν ἑτέραν, ἢ γοῦν προκομίζειν, ἢ διδάσκειν, ἢ παραδιδόναι ἕτερον Σύμβολον τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐξ Ἑλληνισμοῦ, ἢ ἐξ Ἰουδαϊσμοῦ, ἢ γοῦν ἐξ Αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν, τούτους, εἰ μὲν εἶεν Ἐπίσκοποι, ἢ Κληρικοὶ, ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς Ἐπισκόπους τῆς Ἐπισκοπῆς, καὶ Κληρικοὺς, &c.

Sententiæ huic Nostræ de Summâ Vi ac Efficaciâ CHARITATIS, sive Amoris Divini (ad quem producendum abunde sufficiunt hæ Duæ Traditionis Apostolicæ Explicationes Symbolum NICÆNUM & CONSTANTINOPOLITANUM) ad Omnem usq; Veritatem Amantium Animos facilè Ducentis maximè conveniunt *Thomæ ex Albiis* Dicta quædam verè Theologica: scilicet hunc Virum tali Ingenio præditum haud possit latere tam Clara Veritas, quin necesse sit ut interdum erumpat apud Eum, & spargat Radios. *Ex eo*, inquit, (De Fide & Theol. Tract. 1. S. 34.) *quod Anima sit bene affecta erga Deum, & indifferens ad cætera, magnificè ad credenda omnia magna de Deo est disposita, & facillimè omnia arripit.* At restat, inquis, adhuc summum Dubium, cujus Solutio maximè necessaria est ad explicandum

qualis sit ea, de qua agitur, Fidei CHRISTIANÆ Certitudo. Unde Primò Advenit Fides Doctrinæ CHRISTIANÆ præstita, vel (ut aliqui loquuntur) Quid sit id, in quod Ultimò Resolvitur. Ad Solvendum hunc Nodum, seu potiùs GLADIO SPIRITUS Dissecandum summâ Alacritate accingimur. Exurgat DEUS *Incarnatus*, SUMMA RATIO ('Αυτὸς ὁ ΛΟΓΟΣ Μορφωθεὶς, καὶ Ἄνθρωπος γενόμενος S. Just. Mart. Apol. 2.) & Dissipentur Inimici Ejus: Ne blateret quisquam *Phanatica* esse, quæ in SPIRITUS SANCTI, CHARITATIS INFINITÆ, Unicæ Veritatis Salutiferæ Largitricis Honorem proferentur.

Resolutio Fidei Ultima sit in *Ideam*, seu *Notionem* DEI OPT. MAX. nempe in SUMMAM * VERITATEM, quatenus a nobis Apprehendi queat: Itaq; nil aliud est Credere aliquid sive Propositioni alicui Assensum præbere propter Testimonium Divinum, nisi illam Apprehendere *Veram esse*, sive aliquam *Entitatem* Intellectui exhibere, eò quòd *Conformitatem* in eâ Sentiamus ad *Ideam*, seu *Notionem* DEI Nostri: quam quidem *Notionem* (pro *Conceptu Objectivo* sumptam) meritò vocamus SUMMAM RATIONEM *insitam in Naturâ*: Naturâ inquam, nam omnibus constat DEUM esse in Naturâ, sive Essentiâ cujuslibet Creaturæ, Peculiari modo, in Naturâ Creatu-

* Ἔστι δὲ ἡ Αὐτοαλήθεια, ὁ Θεὸς ἡμῶν· ὥστε Προηγούμενόν ἐστι, τῷ Νῷ τὸν Θεὸν ἡμῶν ἐπιγινώσκειν. Ipsissima porrò Veritas DEUS Noster est; Primum ergo & Principale Cognoscibile DEUS est. *S. Basil. Ep.* 399.

Creaturæ *Rationalis*; quæ scilicet apta nata est Reflectere sese in Eundem sibi insidentem, per *Intellectum*, non nisì *Mediatè*, & quasi per *Speculum*, per *Voluntatem* autem *Immediatè*, nempe *Amando* Illum Per Seipsum Propter Seipsum sub *Ratione* (*Speculo* seu *Specie Intelligibili*) SUMMI BONI, vel (ut verba usitatiora repetam) OPTIMI MAXIMI *Intellectu* perceptum. Quòd Pravi Homines non nôrint DEUM, non est a Naturâ, sed a Corruptione, sive Perversitate Naturæ. Unumquodq; *Fidei* Objectum tam *Bonum* est, quàm *Verum*: *Bonitati* Ejus Immediatè Connectitur Credentis Animus per *Voluntatem*; *Veritati* autem non nisì Mediante *Speculo* per *Intellectum*; ut ex supradictis erudito Lectori facilè constabit. Suppono autem, cum sit Corrupta Hominum Natura, non posse eos *Voluntates* suas in DEUM exerere, nisì per *Mediatorem* INCARNATUM DEUM: at verò cum ipsa *Mediatricis* Persona sit DEUS, Qui *Fide per Charitatem Operante* Illum Amplectitur DEO OPT. MAX. Immediatè Connectitur Unione *Mysticâ* quidem, ac inenarrabili, Verissimâ tamen, ac maximè *Intelligibili*. Minimè *Phantastica* sunt (ut improbè existimat *Malignum Vulgus*) istiusmodi Cogitata: Præcipuum sanè in hâc Vitâ Animæ *Rationalis* hoc Opus est; Ab insitis sibi *Ideis* Quarum omnium Fons & Origo est, ESSE DEUM UNUM SIMPLICITER INFINITUM, Regulas sibi præscribere

de adhibendis in *Intellectum Sensuum Objectis*, nec Primariò ex iis, quæcunq; in Oculos, in Aures, aut in reliquos *Sensus* nobis incurrunt, Modum quærere quo perveniamus ad *Spiritualium*, sive *Intellectualium* Notitiam. Ad Veritatem ulteriùs elucidandam conferre aliquid videtur Examinare quædam *Thomæ ex Albiis* Dogmata *De piâ Affectione prærequisitâ ad Fidem. Constat sufficere* (inquit, De Fide & Theolog. S. 30) *ut voluntas, quæ per se versatur circa actum Fidei, sit Permissiva. Necessum enim est ut tota vis sit ipsorum motivorum, quæ per accidens a voluntate habent apparere sufficientia.* ——*sit Permissiva.* Hîc mihi innuere videtur eam Voluntatis Affectionem, quam *Dispositionem Sanctam* vocamus non esse quid Intrinsecum omni Actui Fidei CHRISTIANÆ, vel (ut accuratiùs ac planiùs exprimam Animi mei sensa) hujusmodi non esse, ut nequeat Sinè *Actu* Ejusdem (Dispositionis) Moventis Intellectum Fidei CHRISTIANÆ *Actus* constare quod autem supradictis falsum esse ostendi: nempe Eo ipso Intellectus noster *Activè* (*Activè*, inquam, nam *Passivè* etiam Diaboli Intellectus DEO Adhærere dici potest) DEO Adhæret, sive Propositioni alicui DIVINÆ, quâ DIVINÆ Assensum præbet, quod à Voluntate SPIRITUS SANCTI *Participe* ipse Moveatur, seu Disponatur ad Assentiendum SUMMÆ VERITATI, seu DEO Adhærendum? Quam nostram Assertionem supradictis

pradictis inclusam cernere est: nimirùm Tò *Sentire* Propositionis alicujus *EVANGELICÆ* Conformitatem ad *Ideam*, seu *Notionem* DEI in nobis Refulgentem Fructus sive Effectus est *SPIRITUS SANCTI Per Objectum Fidei quocunq; modo Propositum sese Animo ingerentis, atq; in DEUM OPT. MAX. Amplectendum Excitantis*. Liceat itaq; Fidei Verè *CHRISTIANÆ Actus* Naturam sic explicare. Est Actus Animi *SPIRITU DIVINO* Agitati, per Amorem, sive *CHARITATEM* Oblatam sibi *VERITATEM* Accipientis, quò Ampliùs usq; & usq; per Eandem Acceptam Adaugeat *AMOREM* ad Ampliores *VERITATIS* Haustus Provocantem: nempe *VERITAS Pabulum* est *AMORIS*: *AMOR VERITATIS Incendium*. Mirandus Ignis, in Animis Purgatis *Flammata VERITAS*: Quo Ampliùs Emittit *Flammas*, eò sibi Ampliùs Adauget *Pabulum*: nempe in Quod Agit, Subjectum *IMMORTALE* est, a Quo Proficiscitur Author *ÆTERNUS*. Sed ad reliqua *Thomæ* Verba citata Examinanda redeamus. Non liquet mihi quid sibi vult hoc in loco *Per Se*: Voluntas nunquam versatur circa *Actum Fidei* sinè aliquâ Dispositione vel *Sanctâ* vel *Pravâ*. *Necessum est enim ut tota vis sit ipsorum Motivorum, &c.* Imò, *Thoma*, Necessum est ut tota Vis sit Ipsius *SPIRITUS VERITATIS* per Motam a Seipso Voluntatem Moventis Intellectum: *nec per*

accidens

accidens sanè a Voluntate habent Motiva apparere sufficientia, si Voluntas circa Actum Fidei sit tantùm *Permissiva:* sed forsan hoc intelligis, per accidens habent a seipsis *apparere* sufficientia, in quantum non Impeditur Intellectus a Voluntate, quo minùs eorum Apprehendat Sufficientiam: Plus autem Voluntati circa Actum Fidei versanti attribuimus, quàm Non Impedire Intellectum, ut suprà abunde Testati sumus. *Sola Voluntas* (inquit) *applicandi intellectum ad cogitanda Motiva cum solicitudine & desiderio veritatis, & aliquando sinè tali desiderio, vel cum contrario sufficit ad Actum Fidei.* Verè quidem atq; ex Animo desiderare Veritatem nil aliud est nisì eam aliquatenus Haurire, atq; ad Ampliores ejusdem Mensuras, cum quibuscunq; Credendi Mediis seu Motivis ad Credendum illæ demum erunt oblatæ, Toto Animo Hauriendas Paratum esse; quod autem fieri nequit, nisi SPIRITU SANCTO in nobis Operante per JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM, SUMMAM RATIONEM *Incarnatam.* Hoc sensu accepta concedimus vera esse ista verba, *Sola voluntas, &c. cum solicitudine, & desiderio veritatis sufficit ad Actum Fidei.* At miror sanè reliqua proferre Virum Pereruditum & (ut mihi quidem videtur) Summè Ingeniosum (cujus Scripta Latina, licèt in iis haud pauca Veris immista Falsa dispiciam, jam diu est ex quo ipse in deliciis habui) *aliquando*

quando sinè tali desiderio, vel cum contrario? Apage ista! Tale Desiderium nil aliud est nisi *Gustatio* aliqua Veritatis Cœlestis, Considerata cum Respectu quodam ad illam Propensionem quam Stimulo quasi adigens, addit Animo Flagranti Veri nimirum Avido, ad Ampliores ejusmodi Veritatis Mensuras Hauriendas, quo tandem *Pleno* se *proluat Haustu*, *Facie ad Faciem* Videns *DEUM*, Omnis Veritatis Fontem, & Originem. At forsan Objiciet Vir Eruditus, innuisse Me nullum esse omnino Veritatis *Evangelicæ plenum Desiderium*, seu Volitionem sinè aliquâ ejusmodi Veritate Animo Divinitus Infusâ, quod sibi Absurdum videtur: Concedo equidem ex supradictis abunde constare Meam esse hanc Sententiam, cujus Veritas clariùs elucescet ex eo Poetæ Dicto per ora omnium jactato, ——— *Ignoti nulla Cupido.* Scilicet, Amice Lector, per aliquam Propositionem *Evangelicam*, aliquam Veritatis *Cœlestis* Particulam, a Deo Propositam, Datam, vel Exhibitam Intellectu, Excitatur *Voluntas* a *SPIRITU SANCTO* ad Commovendum Intellectum adeò, ut Assentiatur eidem Propositæ Veritati, ut Exhibitam fortiùs Retineat, atq; etiam ut ad Plura usq; & usq; ejusmodi Veritatis consequendæ Media, Quærendo, Cogitando, Reminiscendo Promoveat sese, & Exultet. At verò hunc ipsum Authorem, quem hìc nobis Adversum agnoscimus, per egregiam sententiam in hâc ipsâ

Eruditi

Eruditi Tractatus Sectione prolatam, Consentientem videre gestio. Latum adeò Imperium exercet Veritas. *Ipsa*, inquit, *quæ proponuntur a fide* (intelligit ni fallor quæcunq; Fidei Objecta) *adeò ex sese dulcia sunt rationi, ut si nihil obstaret ex adverso sinè ullâ difficultate reciperentur mediante Revelatione Divinâ. Si nihil obstaret ex adverso*, inquit. At verò nequaquam Possumus *quicquid obstat ex adverso rejicere*, nisì *SPIRITU SANCTO* in Voluntates nostras Influente: Quod iterum, iterumq; Asserimus. *Adeò ex sese dulcia Rationi*, &c. *Dulcia* sunt, quæ maximè Alliciunt Appetitum: *Dulcia* sunt *Gustui Dulcia*: *Ratio* itaq; quà Facultas, cujus Objectum est *Dulce* vel *Jucundum*, *Voluntas* est, sive *Appetitus*, & *Gustus Rationalis*: *Velle* aliquid [quod Abest, Tò *Appetere Rationale* est [quod Adest, *Gustare*. Scilicet *Voluntas* Propositæ Veritatis Cœlestis *Dulcedine* captata exerit sese in ejusdem usq; adeò *Appetibilis* Desiderium, sive Appetitionem, Atq; *indè* (per hoc vocabulum non designamus *Prioritatem Temporis* isti Desiderio Attributam, sed tantùm *Naturæ*) Commovet Intellectum ad Assentiendum, hoc est, ad Veritatem Propositam, sive Oblatam Accipiendam, Retinendam, quò Per *Voluntatem Dulcedinem* ejusdem Amplius Degustet *Fidelis* Animus, *Soliditati* Fortiùs Adhæreat Per *Intellectum*, usq; dum in Ipsum Fontem Omnis Dulcedinis, nempe in *GAUDIUM DOMINI* Sui Totus evadat.

Affulgeas,

Affulgeas, Oro, PATER LUMINUM Lectorum Animis, ut quicquid ego Salutiferæ Veritatis, obtuſo nimis, ac ſubinde labente Calamo exaravi, SPIRITU TUO Adjuvante, Facilè Percipiant, Firmiter Teneant, atq; ad Summitatem Ejuſdem Conſequendam tandem provecti Perfruantur in Æternum Per JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM, *Amen.*

SErmonem hunc nostrum (fateor equidem) communi de hiſce rebus loquendi viæ non inſiſtentem (qui forſan nonnullis verè Eruditis nimiùm eſſe Abſtruſus videtur, nec prout debet eundem ſemper Tenorem ſervare) ſequendo fatigatos Lectorum Animos liceat mihi Cantilenâ ſuaviſſimâ placidè componere, ac Delectare. Altiſſimæ Veritatis Senſus verè *Seraphicos*, ab Eximio Viro, Poetâ, Philoſopho, Theologo (abſit dicto invidia) Magno & Excelſo, Verſibus Anglicanis exaratos, in iſtos transferre placuit.

Uno totam Animam Collectam Luminis Orbe
 Terras Deſpiciens Altus ad Aſtra vehas.
In Mundum quondam ſpumantes Pectoris æſtus
 Comprime, Sic Spectrum diffugit omne Mali,

Dum Simplex Sphærâ Lucis se colligit Unâ
Mens, Nigros Lemures ut fugat Orta Dies.
Tunc claris Oculis Bonitatem Fine Carentem
Amplexu aspicies Cuncta fovere Suo,
Nec Mala quæ Populus vocitant hoc nomine dig-
Cernes, Quæ potiùs sunt Medicina Mali. (na
Vivida vis Animi, pervincens horrida Fata
Ut Stabilis Mundum Negligat usq; Levem.

Collect thy Soul into one Sphear
Of Light: and 'bove the Earth it bear.
Those wild, scattered Thoughts, that erst
Lay loosly in the World disperst,
Call in: thy Spirit thus knit in one
Fair Lucid Orb, those fears be gone;
Like Dark Impostures of the Night,
That fly before the Morning bright.
Then with pure eyes thou shalt behold
How the first Goodness doth enfold
All things in loving tender Arms,
That deemed Mischiefs are no Harms,
But sov'reign Salves, and skilful Cures
Of greater Woes the World endures,
That Mans stout Soul may find a State
Far rais'd above the reach of Fate.

Nos JESU Amantes, Fratres Charissimi (Præcipuè Vos Alloquor, Eruditi, qui istiusmodi Scripta non tam Eruditionis aut Ingenii, quàm AMORIS Fructus rite Sapitis: Quæcunq; in Terris Regio Vestra tenet Corpora Mortalia

Mortalia, *Vitam* maximè *Vitalem* Mecum degitis: *Unâ Vescimur Aurâ Ætherea*, Ad UNUM, In UNO, Per UNUM Tendimus) Nos, inquam, ô Socii Præstantissimi, O Terq; quaterq; Beati Itineris Cœlestis Comites, JESU NOSTRI Vestigia sequentes Mundana omnia Spernamus, Conculcemus: *Corda nostra Purificando*, *Mundum Vincendo*, *Semper Gaudendo*, Qualis sit illa demum Fides Verè CHRISTIANA cuilibet Vitæ Nostræ Spectatori clarissimè ostendat Cœlestis Nostra Conversatio Vitam in Terris minimè Terrenam Degentium: Per Charitatem Operans Fides Nostra Ardoris Sacri Fulgore Invidiæ perstringat Oculos: Lux eadem Cælestis Vitæ Super omnia istiusmodi Simulachra, ac Species inanes Rerum, quas Divitias, Voluptates, Honores vocitant, Elevatæ, quascunq; Mites, ac Benignas Animas, Sublimioribus de SUMMO BONO Omnia Pervadente Cogitationibus licèt minùs assuetas, Ducat usq; in *Viam Pacis*, quò illæ omnes in UNUM prorsus Nobiscum Coalescentes tandem aliquando Sentire gestiant Opprobria omnia, ac Convitia Optima esse CHRISTIANIS Encomia: Dolores ipsos, ac Ægritudines Maxima *Malorum* Remedia. Nos Alii Alios magìs magísq; indies Diligentes Immensis Charitatis Glomeratæ Ignibus obvoluti Ardores undiq; & Lumina perpetuò diffundamus in qualescunque

Spectantium

Spectantium Animos. Sic tandem ad Æternam SALVATORIS Nostri Gloriam, Clarissimâ Flagrantissimæ Charitatis Viâ, quasi *Igneo Curru*, DEO Agitante, Rapiemur in Coelum.

ΔΟ'ΞΑ ἐν Ὑψίστοις Θεῷ, ἐπὶ Γῆς Εἰρήνη, ἐν Ἀνθρώποις Εὐδοκία.

FINIS.
